

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
0395

0393

0399

0389

0404

0384

0444

0344

0494

0294

0894

Ende

Anfang

382

his patet, quod camelii unius gibbi quandoque dicuntur dromedi, similiter et duorum gibborum. Sunt enim valde diversa genera camelorum in quantitate et cursu differentia.

Est autem camelus animal deformis, gibbosum, habens collum longum, propter longa crura, ut collo terram tangere queat, et cibum sumere, lentum habet incessum, tamen festinum progressum, non quod currat sicut equus, sed cum prolixis cruribus magnos passus facit, quantum homo attingere potest, qui fortiter pedem a pede distendit, numquam autem pedem vadens atterit, quia pedes sunt reciprocis quibusdam pulmentis et crurum pulpis vestigia carnulenta, et ideo lapides vix sustinent in multum ambulando, uide necesse est, si per viam longam et saxosam sit eundum, quod pedes eorum calcentur, quia laeso pede tota bestia languet. Bene ergo in arena ambulant et male in lapidibus, per quos lentissimo gressu graditur cum timore. Similiter bene incedit in terra arida et sicca, male vero in madefacta et lutosa. Bene ambulat tempore calido, male tempore frigido, unde nec diutius vivere potest in terris frigidis et humidis.

Camelus caput habet parvum et disproportionatum respectu corporis, caret cornibus, quamvis (non) careat dentibus superioribus, sicut omnia animalia cornuta. Oculos habet magnos et terribiles, et semper videtur esse animal triste et turbatum. Ejus oculi sunt sicut illa specula ignea, in quibus relucent imagines grossae. Quaecumque enim camelus respicit, magna et grossa sibi videntur, imo omnia quasi cum admiratione et trepidatione videtur inspicere. Unde quando homo ipsi accedit, incipit tremere bestia, ita, quod homo notat bestiam se timere ex eo, quia homo contra se procedens videtur sibi in quadruplo major, quam est. Et nisi Deus sic ordinasset, adeo mansuetum et disciplinatum animal non esset. Os habet turpe et immundum et magnum et dentes inferiores longos; unde quando ex turbatione stridet, os aperit, caput agitat et collum longum extollit, retrorsus ipsum nunc huc, nunc illuc, ita quod homo non assuetus videns turbatur et timet.

Camelus secundum legem Domini est animal immundum, quia ungulam quidem habet, sed non dividit eam, sicut equus,

